

reliquias ejusdem aīe esse conditionis cum toto. Et cur non reliquos etiam habitus generatione in sobolem transfudit? An quia non fuerunt generabiles? ostende ergo prius has notiones communes ex speciebus simplicibus contextas, esse generabiles. Tantum vero abest ut huic sententiæ nostræ adverteretur Divus Apostolus Rom. 1. & 2. ut potius scopo, intentioni & tractationi ejus convenientissima sit; & alteri prorsus adverteretur: quod in ipso disputationis cursu videbimus. Manifeste enim ducit ad creaturæ considerationem; ut nempe ostendat, principium nobis connatum; à lumine vid. intellectus reliquo, Cujus veritatem, qui in injustitia detineri nolit, virtute illius, ad actum ipsum plenioris notitiæ deduci queat, per objecta extrinsecus proposita. Idq; non adeò ipso principiorum habitu (qui confusam de Deo cognitionem vix excedit, etiam in quaestione *An sit*) quam discursu; ab effectu inquam ad causam. Quo peracto *regrediamur* ad simplicem illam apprehensionem rite firmandam; ut alibi plenius differuimus.]

θ. 23. *Intellectus ergo in potentia est suorum objectorum; Quorum aliud est Proprium & destinatum; aliud Improprrium seu nonrepugnantia.*

[Ita non paulo melius nos, quam Kkus cap. 3, §. 2. De *Proprio* tamen, quod ait: facile admitto. Illa autem quæ de *veritate*, parcius. Hac enim perficitur quidem Intellectus; at non efficienter & per modum objecti (quod Kki verba præ se ferunt) sed formaliter; uti aliàs de philosophia nobis dictum, & exemplo sanitatis illustratum: quæ & ipsa corpus perficit, formaliter inquam, & per seipsam: Res ergo vera, est Intellectus objectum. Rei veræ perceptio, est actus intellectus. Qui ipse dicitur verus, conformitate intellectionis & objecti. Majore etiam circumspectione opus, cum Deum profitetur objectum primum, eò quia Deus veritas ipsa & prima sit. Quæ enim Entis ipsius & specierum differentia est, tum quoad varietatem earum, tum quoad nobilitatem; ea quidem & objecti hujus erit; eò quod Ens istud objectum Intellectus sit. Deus autem primum Ens. Ergo & primum summumq; objectum Intellectus, & maxime proprium. Hoc inquam sensu concesserim: Sed hic tamen de
Intel-